



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

An Deum esse sit demonstrabile.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

Durandus

150. AD 2. sententiam Durandi nego, aut actum meritorium, aut Deum sub ratione saluatoris esse primum subiectum fidei, aut Theologiæ. Vnde ad argumenta pro prima parte nego minorem; tum quia vel Theologia consideratur, ut est speculatiua scientia; & sic primum eius subiectum est Deus sub ratione Deitatis; nam hæc cognitio ab ipsa, ut speculatiua est, potissime intenditur: vel ut practica est; & sic primum eius subiectum non est actus meritorius, sed Deus, ut assequibilis à nobis actu meritorio: cuius ratio est, quia Theologia non sedit in ipsa consideratione actus meritorij, sed ulterius tendit in notitiam practica finis, ut assequibilis actu meritorio. Vnde omnia Durandi Commenta solum probant, Theologiam nostram tendere ad actum meritorium, tanquam ad medium, quo proximè finem assequimur, non tamquam ad finem ultimum, ad quem tendit, & ordinatur practica Theologia; hic enim est Deus, ut est ultima felicitas, & Beatitudo nostra. Cuius ratio à priori est: quoniam in agibilibus finis est principium omnium practicarum conclusionum: nam ex eo mouetur intellectus ad concludenda omnia media, quæ ad finem conducunt: ergo in scientia practica magis attenditur consideratio finis, quam mediorum: igitur Theologia, quia practica scientia est, magis attendit considerationem Dei, qui est fi-

nis quam actus meritorij, qui est medium atque hoc probat auctoritas Ioan. à Durando, citata: nam vita, quæ nobis promittitur, ut finis nostræ fidei, est beatitudo æterna, quæ consistit in ipso Deo, iuxta illud eiusdem Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Reliqua, quæ à Durando afferuntur, solum probant Theologiam, ut practica scientia est, ordinari quidem ad opus meritorium, non tamen ultimè, & principaliter, sed non ultimè, & minùs principaliter.

151. AD argumentum secundæ partis, quo probat Deum sub ratione saluatoris esse subiectum Theologiæ, ut est declaratiua, & defensiva articulorum, neganda est minor: nam ipsa ratio Saluatoris, & reliquæ in ea contentæ ultimè considerantur à Theologo in ordine ad Deum, vel ut practice consequibilem, vel ut speculatiue cognoscibilem. Neque ex eo, quod Fides de Salvatore fuit omni tempore ad salutem necessaria, rectè colligitur, quod Deus, sub ratione Saluatoris, sit subiectum Theologiæ, sed solum, quod talis Fides sit præcipuum medium ad consequendum finem. Vltimum argumentum supponit saluum principium, à nobis iam confutatum, nempe quod opus meritorium sit primum subiectum Theologiæ.

S. Ioan.
Durandus.

DISPUTATIO II.

De Existentia Dei.



V. M. vnus cuiusque scientiæ munus sit perfectam de suo subiecto tradere notitiam; postquam probatum est subiectum primum Theologiæ esse Deum: consequens est, ut ipsius naturam & attributa, quantum ad umbrato Fidei lumine suffulti assequi poterimus, explicemus. Dupliciter autem Dei natura considerari potest, vno modo secundum se, in ordine ad intrinsecas perfectiones, quibus constituitur: alio modo in ordine ad creaturas, in ordine ad quas triplicem habet considerationem, secundum triplicem respectum, quem dicit ad illas, ut principium, ut Finis, ut Reparator. Secundum quem triplicem respectum considerat Angelicus Doctor Deum in sua summa, quam in tres diuidit partes; in prima disputat de Deo in ordine ad se, & ut principio creaturarum; in secunda ut Fine earundem; in tertia ut Reparatore naturæ lapsæ. Eandem methodum sequemur & nos in hac nostra Theologica summa. Quoniam verò consideratio Dei in ordine ad creaturas supponit considerationem Dei in ordine ad se, prius de illa in hoc Tomo; tum de reliquis

in sequentibus, ordine ac methodo prædicta disputabimus. Ac primo loco stabilienda est Dei existentia, tanquam fundamentum & basis cæterorum: quæ etsi iuxta scientiæ leges supponenda potius esset, quam probanda, cum nulla scientia probeat, sed supponat suum subiectum, quia tamen non desunt Athei, qui illam negent, Theologici muneris est, adhibitis naturæ principiis, hanc veritatem contra Atheos demonstrare.

An DEVM esse sic demonstrabile?

1. **R**ATIO dubitandi quadruplex est, prima quoniam ea tantum, auctore Philosopho 1. Post. 3. sunt demonstrabilia, quæ non sunt per se nota: atqui Deum esse, est per se notum: ergo Deum esse, est indemonstrabile. Maior constat, quoniam ea sunt demonstrabilia, quæ habent medium notius, quam sint ipsa, quæ demonstrantur; demonstratio enim tendit ad notificandum id, quod est ignotum, per id quod est notius. Minor probatur: Nam illud est per se notum ex S. Thom. p. p. qu. 2. a. 1. cuius prædicatum est

S. Thomas.

de ratione

S. Thomas.

Aristoteles

de ratione subiecti. Atqui esse est de ratione Dei, cum nequeat concipi Deus, nisi ut actus existens. ergo Deum esse, est per se notum. Secunda, Deus nullam habet causam sui esse; ergo nequit de Deo demonstrari esse. Consequentia prob. nam teste Aristot. 1. Post. 2. Demonstratio procedere debet ex prioribus causisque conclusionis. Tertia Deum esse, est articulus Fidei; ergo nequit demonstrari, cum nequeat Fides, & scientia esse de eodem obiecto. Quarta ea, quæ sunt demonstrabilia, negari non possunt: atqui Deum esse, multi negarunt: ergo Deum esse non est demonstrabile.

S. Thomas

2. Dico 1. Deum esse, est demonstrabile per effectus à posteriori. est S. Thom. p. p. q. 2. articuli. 2. & 1. contra Gent. c. 12. & cum eo omnes interpretes, & Scholastici omnes in 1. Dist. 2. & 3. Contra Aliacensem qu. 3. a.

Aliacen.

2. opinantem, Deum non posse ratione naturali evidenti, sed tantum probabiliter ostendi: eodem inclinât. Maior in 1. Dist. 2. q. 1. concl.

Maior.

Gabriel.

1. & Gabriel. q. 10. a. 3. dub. 1. Nostra tamen assertio aperte deducitur ex Paulo ad Rom.

Rom. 1.

1. illis verbis: *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & Diuinitas.* Ut autem ostendat Paulus vim & efficaciam demonstrationis, quam viatores habere possunt de Deo per effectus creatos, subdit: *ita ut sint inexcusabiles.* Cum Paulo concordant Patres, passim docentes, notitiam creatoris esse naturaliter insitam unicuique mortalium.

Patres.

S. Thomas.

Molina.

Valentia.

Suarez.

3. Vnde merito oppositam sententiam S. Tho. 1. cont. Gentes appellat errorem; Molina p. p. q. 2. art. 2. in Fide minimè tutam; Valentia q. 2. punct. 2. erroneam, vel apertam heresin; Suarez. lib. 1. de essentia Dei c. 1. temerariam & errori proximam. Plures afferuntur rationes, quæ Dei existentiam demonstrant: nobis duæ sufficiant tanquam omnium potissimæ; vna desumitur ex subordinatione causarum ad vnam primam efficientem; altera ex subordinatione earundem ad vnam supremam intellectualem gubernantem. Vtræque usus est Aristoteles, Priore quidem 7. & 8. Physicorum, nec non 12. Metaphysic. t. 29. Posteriore verò 12. Metaphysic. ult.

Aristoteles.

4. PRIMAM rationem sic ordior. Vnum quodque indiuiduum, exempli causa, naturæ humanæ, producit ab alio; & hoc ab alio: atqui in hoc progressu producti & producentis necessariò deueniendum est ad vnum primum efficiens, quod improductum omnia producat, quem Deum omnes nominamus. ergo demonstrabile est, Deum esse. Maior non solum est evidens experientiâ, sed etiam ratione: quia nisi quodlibet indiuiduum humanum produceretur ab alio, aut idem esset, quia idem produci posset à se ipso, vel à suo producto: aut idem, quia daretur aliquod indiuiduum humanum à nullo productum, quod reliqua indiuidua produceret. Vtrumque euidenter implicat, ergo. Implicat primum: quia si posset idem produci à se ipso, vel à suo producto, idem simul esset, & non esset;

quæ sunt manifeste contradictoria; esset, quia ut posset producere, deberet necessariò præsupponi existens, nam id, quod non est, vim producendi habere non potest: non esset, quia ut posset primum produci, deberet supponi non esse; nam nihil potest primum produci, quod iam supponitur esse, cum prima productio tendat ad dandum primum esse.

5. Explicatur: ut res aliqua producat, præsupponi debet naturâ ante productionem; ut eadem producat, subsequi debet naturâ eandem productione. Ergo idem esset prius, & posterius naturâ respectu eiusdem actionis & esse, secundum quod & præsupponeretur ut causa, & non præsupponeretur ut effectus.

Implicat secundum, quia cum esse improductum sit maxima perfectio entis, quæ illud necessariò euehit in altiore ordinem, quàm sit quæcunque natura producibilis, implicat esse indiuiduum humanum, & simul esse improductum: nam quæ improductum excederet perfectionem naturæ humanæ: quæ verò indiuiduum humanum, non excederet perfectionem eiusdem naturæ humanæ: ergo simul esset, & non esset indiuiduum humanum. Igitur si necessariò deueniendum est ad vnum principium improductum, à quo tota species humana sit producta, de necessitate illud erit diuersæ altiorisque naturæ, quàm sit species ipsa humana, aut quæuis alia natura producibilis. Idem argumentum fieri potest de qualibet serie indiuiduorum aut specierum.

6. Demonstrata Maiore, demonstro Minorem. Etenim sumatur tota series causarum, quarum quælibet inferior pendet à superiore; vel tota hæc series pendet ab vna suprema causa improducta, vel non; si primum, iam habetur primum efficiens improductum: si secundum, rursus vel tota series causarum producentium, & productarum est à se, vel ab alio. Tota à se esse non potest, nisi ratione alicuius supremæ causæ, à qua ita reliquæ sint, ut ipsa à nulla alia sit. Neque tota ab alio esse potest, ita ut singulæ & omnes ita ab alio sint, ut in tota serie nulla sit à se: alioqui omnes & singulæ causæ essent entia potentialia: implicat autem, ut ens potentiale se ipsum reducat à statu potenciali ad statum entis actualis; quia cum ens potentiale sit negatio entis actualis cum sola non repugnantia ad illud; & nihil quod actu non est, vim habeat producendi ens in actu; implicabit, ens potentiale se ipsum reducere à statu potenciali ad statum entis actualis. Quare necessariò concedendum erit ens essentialiter existens, quod ita sit in actu essendi, ut nunquam potuerit esse in statu potenciali.

7. Hac luce demonstrationis mens Atheorum perstricta, ad tenebras infiniti recurrit: putantque se propositæ demonstrationi satisfacere, si dicant, totam quidem seriem causarum ab alio esse, quia tamen in infinito non datur primum: neque in tota serie infinita causarum assignari posse primam, à qua cæperit actio. Sed contra; nam esto in infinita

serie causarum, non datur prima, adhuc vis demonstrationis urget: quia vel tota series infinitarum causarum collectivè sumpta est ab alio, vel à se: si ab alio, ergo tota est potentialis: ergo impossibile fuit, ut se ipsam reduceret à statu potentiali, ad statum entis actualis: si à se, hoc convenire non potest toti collectioni ratione singularum causarum, cum singulae causae sint ab alio: neque ratione totius collectionis ut sic: cum tota collectio non dicat, nisi aggregationem singularum causarum: Vnde si singulae sunt ab alio, tota causarum collectio erit ab alio.

8. Nec recurri potest ad naturam infiniti, in quo non licet argumentari à distributivo ad collectivum; eo quod aliquid convenit collectivo, ex eo quod caret termino, quod non convenit distributivo, quod terminum habet: nam hoc verum tantum est de his praedicatis, quae consequuntur infinitum ut infinitum; non autem de his, quae consequuntur essentiali ipsam rerum infinitarum: quia, sicut haec non mutatur per rationem infiniti, rebus ipsis accidentaliter advenientis: ita nec eius intrinseca praedicata: sed esse à se, vel ab alio sunt rationes essentialiter convenientes rebus ipsis: ergo illae non mutantur per rationem infiniti, accidentaliter illis advenientis. Igitur si implicat, finitam seriem causarum esse ab alio, nulla assignata prima, à qua tota originem trahat; etiam implicabit, infinitam seriem causarum esse ab alio, nulla assignata prima, à qua tota infinitas originem ducat. Vnde licet infinite seriei causarum repugnet habere primam causam intra eandem seriem, non tamen repugnat, ut tota series pendeat ab alia causa, quae sit extra totam seriem ipsam causarum producentium & productarum, quae sit prima tantum extrinsecè, non habens post se secundam determinatè succedentem: sicut post punctum terminativum lineae non sequitur secundum punctum determinatè. Haec autem non ideo assero, ut approbem doctrinam de infinito, quod jam puto implicare contradictionem, sed tantum, ut ostendam vim demonstrationis procedere, etiam posita infinita serie causarum. Nam adhuc tota isthaec infinita series causarum deberet esse ab alio primo ente improducto, cum tota esset potentialis, ac proinde impotens reducendi se à statu potentiali ad statum entis actualis.

9. SECUNDA ratio, quae evidenter demonstrat Deum esse, est hic pulcherrimus rerum ordo, & totius universi dispositio; nec non constans & perennis, ac nunquam interrupta rerum, temporumque vicissitudo. Quae ratio familiaris est Patribus, imò & antiquis Philosophis. Vnde Cicero 2. de Divinitate, *Esse*, inquit, *praestantem aliquam, aeternamque naturam, & eam suspiciendam admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum Coelestium cogit fateri, eaque ante omnes usus est Sapiens Sapientiae 13. A magnitudine*, inquit, *speciei, & creatura cognoscibiliter poterit Creator horum videri. Quae ratio sic potest for-*

mari. Vniuersum hoc tam mira rerum varietate compactum, tam mirabili ordine dispositum, tanta legum constantia sancitum, tanta sublunarium cum coelestibus orbibus coherentia, & consensione firmatum, impossibile est, ut non regatur ab aliquo supremo Numine, intellectu & voluntate praedito, quod Deum appellamus. Maiorem ostendo: quoniam hic tantus, ac tam constans rerum ordo non potuit esse casu, & quasi fortuito; cum ea, quae casu ac fortuito accidunt, constantia ac perpetua esse non possint, cum non habeant causam perpetuè conservantem, ac dirigentem, neque potest à se ipso regi, & gubernari; quia tam concinnus ordo, atque ordinata dispositio rerum nequit esse effectus, nisi agentis per intellectum, cum solius intellectus sit ordinatè agere ac disponere, ut vnumquodque per consentanea media ad suum finem tendat. Concedendus est igitur aliquis aeternus Rector, ac supremus Gubernator, qui singula in hoc universo contenta ad peculiaris suos fines dirigat, & impellat. Et quoniam hic non potest esse nisi vnus, ut ex perpetua rerum consensione, & ordine imperturbabili constat, fatendum est vnum supremum atque aeternum Numen, haec omnia infallibili lege, ac providentia regens & gubernans. Quod cum non possit à se ipso vel ab alio superiore produci, alioqui non vnum, sed plura essent Numina, necessariò erit improductum, & à se, atque adeò aeternum. Quam veritatem vice, ac voce totius naturae expressit Aristoteles 12. Metaph. in fine his verbis: *Non est bonum pluralitas Principatum: vnus ergo Princeps.*

10. DICO 2 Deum esse non potest à priori, & per causam demonstrari. Est communior inter Scholasticos. Fundamentum est, quoniam esse est prima perfectio, quae nostro modo concipiendi convenit Deo: ergo non potest per aliam perfectionem à priori demonstrari. Consequentia constat ex ipsa natura Demonstrationis à priori, quae procedere debet per causam saltem virtutalem conclusionis. Cum igitur prima perfectio subiecti non habeat aliam priorem perfectionem non poterit à priori demonstrari. Antecedens probo: quia prima perfectio, quae competit Deo, est ipsum esse necessarium & à se; atque adeò actuale, per hoc enim primo distinguitur ab ente potentiali, & est quasi radix omnium perfectionum, quae competunt Deo: ex hac enim habet, ut sit illimitatus, actus purus, & infinitus in omni genere perfectionis excludentis imperfectionem. Confirmatur, quia esse actuale Dei est aequè notum, ac qualibet alia perfectio ipsius; ergo non potest à priori demonstrari. Consequentia patet: quia quod demonstratur non debet esse aequè notum, ac medium ipsum, per quod demonstratur: si autem esse actuale Dei est aequè notum, ac qualibet alia perfectio ipsius, nulla perfectio assumi poterit ut medium aptum ad inferendum esse actuale ipsius: cum nulla alia perfectio sit

notior,

Aristoteles.

Cicero.

Sapiens.

notior, quam ipsius esse actuale Dei. Antecedens probo: nam qualibet perfectio diuina, vt diuina explicitè importat esse necessarium & à se; hoc enim formaliter importat esse Diuinum: atqui nulla perfectio Dei assumi potest vt medium ad inferendam aliam perfectionem nisi vt Diuina; quia non potest habere vim inferendi aliam perfectionem Diuinam, vt abstrahens ab esse Diuino, quia vt sic non est apta inferre perfectiones proprias Dei, qualis est existencia actualis & necessaria.

Aristot.

11. AD primam rationem dubitandi distinguenda est Maior ex doctrina ipsiusmet Arist. 1. Post. c. 2. de notioribus naturâ, & quoad nos: concedo igitur, quæ sunt notiora & naturâ, & quoad nos, non esse demonstrabilia: nego autem, quæ sunt notiora naturâ, ignotiora verò quoad nos, non esse demonstrabilia: tale est, Deum esse: nam consideratum secundum se, est per se notum: consideratum verò quoad nos, est ignotum, ac propinde demonstrabile per aliquid notius, vt sunt effectus ipsi creati, necessariam connexionem habentes cum existencia Dei. Atque ex his patet ad probationem Maioris.

S. Thomas.

12. Pro Maiore tamen claritate, distinguunt Scholastici cum Arist. propositionem notam quoad se, & notam quoad nos. Propositionem notam quoad se, siue per se appellant illam, quæ apta nata est cognosci immediatè ex terminis ipsis, absque adminiculo extrinseci meriti, qualis est, inquit S. Tho. p. q. 2. art. 1. Omnis propositio, cuius predicatum clauditur in ratione subiecti, vt homo est animal, dicitur propositio nota per se, quia, vt illam intellectus cognoscat, non eget extrinseco medio, sed penetratis terminis, statim illam cognoscit. Propositionem verò notam quoad nos. Arist.

Aristoteles.

vocat illam, quæ est propinquior sensui. Ex hac doctrina sequitur posse aliquam propositionem esse notam per se, non tamen quoad nos, quia potest ex se esse apta, vt cognoscatur ex terminis, nobis tamen sit ignota, qui non valeamus eam exactè penetrare ex terminis: quâdiu autem termini exactè non penetrantur, nō potest cognosci connexio prædicati cum subiecto, atque adeo propositio ipsa. Talis est hæc propositio, *Deus existit*; cuius predicatum est de ratione subiecti, quia existencia est de quidditate Dei: quia tamen nos pro hac mortali vita non valeamus eius terminos penetrare, cum non valeamus proprio conceptu Deitatem concipere, sed conceptu dumtaxat analogo & communi, secundum quem conceptum concepta Deitas non habet immediatam connexionem cum sua ipsius existencia; non possumus prædictæ propositionis veritatem immediatè cognoscere ex sola terminorum penetratione: Vnde remanet nobis ex penetratione terminorum ignota; & consequenter demonstrabilis à Posteriori per effectus creatos, habentes necessariam connexionem cum ipsa existencia necessaria Dei. Dixi in hac vita; quia in alia sicut Beati proprio conceptu cognoscunt Deum; ita est illis talis

propositio ex terminis nota. Vnde non repugnat, vt eadem propositio respectu diuersorum intellectuum sit nota, & ignota, atque adeo demonstrabilis, & indemonstrabilis.

13. SECUNDA ratio solum procedit de demonstratione per causam, & à priori: quam demonstrationem suprà probauimus, in Deū cadere non posse; non autem procedit de demonstratione per effectus, & à posteriori, quam tantum Deo concedimus.

14. AD tertiam nego consequentiam, eiusque probationem: nam licet scientia & Fides actualis de eodem obiecto naturaliter esse non possit: scientia tamen & Fides habitualis de eodem obiecto simul esse possunt.

15. AD quartam concedo, quod quæ sunt demonstrabilia, negari non possunt ab eo, qui vim demonstrationis percipit; secus ab eo, qui vim demonstrationis non attendit: Nam quamdiu vis demonstrationis non percipitur, non potest intellectus conuinci ad assensum præbendum: quia nequit intellectus conuinci, nisi vi demonstrationis cognitæ. Quare concedo, multos Deum negasse, sed qui ad vim demonstrationis attendere noluerunt, vt expressit Sapiens Sapientia 13. Neque operibus, inquit, attendentes agnouerunt, quis esset artifex.

Sapiens.

16. Hic disputari solet, an dari possit aliqua inuincibilis ignorantia de Deo, saltem ad tempus, & in paucis quibusdam rudibus. Affirmant Medina p. 2. q. 89. art. 6. Molina p. p. quæst. 2. art. 1. Zumel. qu. vnica concl. 3. & alij: nec negat Granadus in p. p. tract. 1. de existencia Dei Disp. 1. sect. ult. in fine, vbi concedit cum Victoria, posse aliquem in filiis enutritum, qui nihil de Deo vnquam audiuit, laborare ad tempus inuincibili ignorantia Dei.

Molina.
Medina.
Zumel.

Victoria.

17. Quæ sententia cum prædicta limitatione, in paucis, & ad tempus, probabilis est; absolutè tamè & vniuersaliter est falsa. Prior pars probatur: quoniam, vt ignorantia Dei sit inuincibilis, duo requirit, vnum, vt aliqua saltem cogitatio de Dei existencia animum pulset; alterum, vt talis cogitatio proponatur cum debito comparandi perfectionem cognitionem de Deo. Etenim, si vel nulla subit animum cogitatio de Deo; vel non subit cum debito comparandi perfectionem notitiam, non dicitur talis ignorantia inuincibilis: quia inuincibilis ignorantia dicitur, vt ex ipso nomine constat, quæ vinci non potest ab eo, qui tali ignorantia laborat; nequit autem ea ignorantia per oppositum actum scientiæ vinci, cuius aliqua non subit cogitatio cum debito habendi talem scientiam. Atqui fieri potest, vt in aliquo rudi homine vel nulla de Dei existencia cogitatio animum pulset; vel si pulset, non pulset cum debito comparandi perfectionem: Igitur dari potest in aliquo, ad breue saltem tempus, inuincibilis ignorantia de Deo. Minor probatur: quia talis cogitatio supponit aliquam notitiam creaturarum cum dependentia ab vna prima cau-

sa, & cum obligatione illam inuestigandi; quæ cogitatio non itatim occurrere solet homini, tunc primum rationis usum exercenti, sine vlla parentum disciplina, & maiorum traditione; & multò minùs homini rudis atque hebetis ingenij; & quamuis hæc probabilis sit, probabilius tamè defendi potest opposita, vt neque in paucis, neque ad tempus perfecta ratione vtētibz dabilis sit inuincibilis ignorantia de Deo, vt fusè probo in 3. tomo; & ex posterioris partis probatione colligitur.

Paulus.

18. Posterior autem pars constat ex communi consensu Patrum: qui propterea dicunt, notitiam de Deo esse omnibus naturaliter insitam; & colligitur ex Paulo suprà cit. ad Rom. 1. à quo absolute & simpliciter dicuntur *inexcusabiles*, qui Creatoris sui notitia carent, cum eam facile possint ex creaturis comparare. Fundamentum huius est: quia notitia de Deo saltem confusa & imper-

fecta, est adeò facilis & obuia cuiilibet, vt vix possit quis ad longum tempus excusari: *Cæli enim ipsi enarrant gloriam Dei.* Vnde Tullius 2. de natura Deor. *Quid tam apertum, inquit, esse potest, tamque perspicuum, cum Cælum suspeximus, Cælestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod Numen præstantissima mentis, quo hæc regantur?* Cuius argumentum est; quia nulla est natio tam barbara, quæ aliquam notitiam Dei, cultu aliquo non profiteatur, etiam si erret in notitia veri Dei. Hoc ipsum confirmat supernaturalis prouidentia Dei, quæ non finit longo tempore homines ignorantia sui Conditoris laborare, sed eos subinde instruit, vel per externam disciplinam Maiorum, vel per internas illustrationes, cum talis notitia sit simpliciter necessaria; est enim notitia vltimi Finis, sine quo nequit creatura rationalis de se ipsa perfecte disponere.

Tullius.

DISPUTATIO III.

De Essentia Dei eiusque attributis.

SECTIO PRIMA.

Quid DEVS sit?



Augustinus.

1. **A**RDVA res quæritur, ipsi soli nota, cuius explicatio quæritur. Est enim Deus, teste Scriptura, *immensa lux*, ad quam nemini patet accessus, nisi per ipsius lucis aliquam reuerberationem. Vnde monet August. libr. de moribus Ecclesiæ c. 7. vt Diuina contemplari ad opacitatem autoritatis, vmbraque creaturarum, librorumque voces, veluti ad signa temperatiora veritatis confugiamus: ne, si Diuina in se contemplari velimus, nimia luce veritatis reuerberati, ad tenebrarum nostrarum familiaritatem cum fatigatione potiùs, quàm cum delectatione conuertamur. Ergo partim Fidei reuelato lumine, partim innato ratiocinatione intellectus tantæ rei explicationem aggrediamur. Et quidem Auctore Augustino libro de cognitione veræ vitæ c. 7. nec non S. Thom. p. p. q. 3. art. 5. & 1. contra gentes c. 25. & q. 7. de potentia art. 3. perfecta definitione Deum comprehendere est impossibile: Nam quæ definiuntur, certis perfectionum cancellis concluduntur, vltra quas res ipsæ definitæ non protenduntur: Deus autem, cum in suo esse nullo concludatur perfectionis termino, definiri haud quam potest, aliqua tamen descriptione po-

S. Thomas.

test. Duplex autem est via indagandi Dei naturam, altera à posteriori per effectus; altera à priori per rationem aliquam à posteriori priùs demonstratam. his positis.

2. DICO 1. A posteriori & per effectus euidenter concluditur natura Diuina infinite perfecta, & totius potentialitatis expers. est S. Tho. p. p. q. 4. a. 2. Scoti in 1. Dist. 2. qu. 2. §. *Ostenso proposito*, Durandi Dist. 43. q. 1. Heruæi quest. 1. Capreoli q. 1. art. 1. concl. 4. Rich. art. 1. qu. 2. Argent. art. 3. Ariminenfis qu. 3. a. 2. & 3. ad 3. & aliorum contra Rubionem q. 1. art. 2.

3. Prob. Conclusio 1. Auctoritate Arist. qui 8. Physic. c. vlt. & 12. Metaphys. t. 41. infinitatem primi motoris probauit ex perpetuo motu Cælorum: & 12. Met. t. 51. affirmat, intellectionem Dei esse ipsammet substantiam Dei: ergo agnoscit illum, vt actum purum & immunem ab omni potentialitate. Prior pars probatur duplici medio. Primò ex effectibus possibilibus perfectioribus, & perfectioribus in infinitum, hoc pacto: Omnis perfectio, quæ est in effectu, necesse est, vt præexistat in causa, aut formaliter, si est vniuoca; aut eminenter, si est æquiuoca. Atqui producibiles sunt effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum: ergo necesse est, vt infinita perfectio præexistat in prima causa. Maior patet: nam quando causa est prin-

S. Thomas.
Scotus.
Durandus.
Capreolus.
Heruæus.
Richardus.
Ariminenf.
Rubio.
Aristoteles.

cipa-